

quis uoluit in uis in uoluntate.
tu deus qui respulisti nos: et non egre-
ssus in uirtutibus nostris. **Q**uia nobis
et tribulatione: quia uana salus ho-
mo. **I**n deo faciemus uirtutes: et ipse ad
id uoluit tribulationes nos. **Ps. 11.**

id deus deprecatione mea: in tene-
brarum tene. **F**amilia terre ad te cla-
mauerit: et cor meum in petra ex-
e. **Q**uia faciemus quia factus es spes
is fortitudinis a facie inimici. **F**in
in laborum tenebrarum in tenebrarum

*De cord
De ecclesia Petri*



P. e. 87

T. VII, 894

III 4/10 J. V 1/10



12

89

Disputatio IIX.

EX FORMVLA CHRISTIANÆ
CONCORDIÆ,

Continens Synopsin doctrinæ

DE

DESCENSU CHRIS-
TI AD INFEROS,

Cujus Subiectas Positiones

EODEM DVCE ET AVSPICE CHRISTO

Sub Prasidio

REVERENDI ET CLARISSIMI VIRI,

Dn. LVCÆ BACMEISTERI, L. F.

S. S. Theolog. Doctoris, & in Acad. Rostochiensi Professoris pub.

In Collegio disputationum Theologicarum privato

examinandas proponit

SIMON JOHANNIS CARELIUS

Wiburgensis. S.

Ad diem 31. Decemb. horis pomeridianis.

1. Pet. 3. v. 18. & 19.

Χριστός ἀπαξ περὶ ἁμαρτιῶν ἔπαθε, δίκαιος ὑπὲρ ἀδίκων; ἵνα ἡμᾶς προσαγάγῃ πρὸς θεόν; θανατωθεὶς μὴ σαρκὶ, ζωοποιηθεὶς ᾧ πρὸς πνεύματι; ἐν ᾧ καὶ ταῖς ἐν φυλακῇ πνεύματι προεφύθη ἐκήρυξεν.



ROSTOCHII.

Ex Typographia Stephani Myliandri

Anno M. DC. V.



Diplomatio IX.

CHRISTIANNA
COP. SOL. DIA.

Compositio in doctrina

de

OPUSCULO

DE

RE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE



DISPUTATIO IIX.

Ex Concordiæ Christianæ formulâ.

DE DESCENSU CHRISTI AD INFEROS.

Instituta pridie Calendas Januarij Anni 1606.

Respondente Simone Iohannis Carelio.

THESIS I.



VM Descensus Christi ad Inferos sit pars officij Christi, concinno ordine superiori De Persona Christi *ὁ ἡθὺς* ei, hac de Descensu ejusdem ad Inferos subijcitur.

II. Etsi vero formula Christiana Concordiæ de hoc Articulo non esse disputandum præcipiat: quippe qui nec sensibus, nec ratione nostra comprehendi queat; sed eum quam simplicissimè credendum & docendum esse statuatur; ordinis tamen institutiq; nostri ratio à nobis postulat, ut Ecclesiarum nostrarum sententiam etiam de hoc doctrinæ capite exponamus.

III. Non sumus autem nescij, plurimas variasq; & olim in Ecclesia hac de re motas esse controversias, & adhuc ab inquietis ingenijs moveri; alijs Articulum hunc prorsus negantibus; quibusdam tropologicum planè sensum eidem affingentibus; nonnullis aliter atq; aliter eundem interpretantibus.

IV. Verum nos plerisq; earum: utpote ab instituto nostro alienis, nunc missis, eas tantum questiones huc revocabimus, quas formula Christiana Concordiæ examinandas proponit.

V. Harum vero Tres Concordia nostra recenset. Quarum due sunt de Tempore, Tertia de modo.

Status
contro-
verliæ.

VI. Primum enim quæsitum fuit; Quando Dominus noster Jesus Christus ad Inferos descenderit, An id ante vel post mortem ejus factum sit?

VII. Hinc secunda emerfit questio: Num hic Articulus ad passionem, seu statum exinanitionis: an vero ad gloriosam victoriam

H

riam

91
viam & triumphum Christi, seu Exaltationis statum referendus sit?

II X. Tertiò deniq; de modo disceptatum fuit. Si enim post mortem descendit, quaesitum fuit: Quomodo id factum fuerit, num anima tantum, an divinitate sola; an vero anima & corpore simul descenderit? idq; an Spiritualiter, an vero corporaliter factum sit.

I X. Ad duo priora *Ἐπιθυμῶτα* piè & breviter ita respondet Christiana nostra Concordia: Simpliciter, inquit, credimus, Quod tota Persona Deus & Homo, post sepulturam ad Inferos descenderit, Satanam devicerit, potestatem inferorum everterit, & Diabolo omnem vim atq; potentiam eripuerit.

X. De Tertio hisce omninò verbis mentem suam declarat: Quomodo Christus id effecerit, non est ut argutis & subtilibus imaginationibus scrutemur. Hic enim articulus ratione nostra & sensib⁹ comprehendi nequit: Itaq; in his mysterijs fides duntaxat est adhibenda; & Verbum Dei firmo assensu retinendum est: sic solidam doctrinam & veram consolationem ex hoc articulo hauriemus.

XI. Et sanè poterant debebantq; meritò hæc pijs mentibus sufficere; ne curiosius mysterium hoc tacitum in scriptura indagarent. Quæ enim Deus occulta esse voluit, non sunt scrutanda, quæ autem manifesta fecit, non sunt neganda; ne in illis illicitè curiosi, in his damnabiliter inveniamur ingrati. Ambro. lib. 1. de vocat. gentium.

XII. Verum cum Petrus Apostolus paratos nos esse jubeat ad respondendum cui libet petenti rationem ejus quæ in nobis est spei. 1. Pet. 3. v. 15. opera precium arbitramur, pro gloriâ Christi, & fidei unionis concordia, materiam hanc arduam altius in timore Domini suspendere; Et veram sententiam solidis fundamentis confirmare: Persuasumq; omninò habemus nostrum hoc quaecunq; studium, confirmandi nostri causa institutum, à nemine rectè candidèq; judicante improbatum iri.

Thesis
bimem-
bris,

XIII. Ut autem rem totam facilius expediamus: Duo hæc capita in Thesi pertractabimus. 1. An Doctrina de Descensu Christi ad Inferos inter articulos fidei referenda sit. 2. Quid in ar-

92

in articulo hoc fidei sit credendum. Ac tandem Antithesi nuda & brevi opinionum dissentientium, disquisitionem hanc concludemus.

XIV. Primum quod attinet; Controversia maximè in eo consistit: Cum Verba Symboli Apostolici, Descendit ad inferna, non videantur explicitè contineri in historiâ Evangelicâ, nec in concionibus Apostolorum, quibus Personam & beneficia Christi in Actis, & Epistolis suis deprecant; cumq; plurimi ex scriptoribus Ecclesiasticis variè eandem explicent, interdum etiam omittant; inveniuntur multi, qui illa planè ex fidei articulorum numero tollere, aut aliena saltem interpretatione pervertere præsumunt.

XV. Contra eorum insultus, nos hujus fidei articuli certitudinem & veritatem tam divinis quam humanis testimonijs confirmabimus.

XVI. Divina Testimonia Descensum Christi ad inferos nobis commendantia sunt tam Veteris quam Novi Testamenti: Ea q; vel solum hunc articulum tractant, vel cum alijs conjungunt. ut Genes. 3. v. 15. Psal. 68. v. 19. Esai. 25. v. 8. Ose. 13. v. 14. Zach. 9. v. 11. Matth. 12. v. 40. Act. 2. v. 24. Rom. 10. v. 7. 1. Corinth. 15. v. 54. Eph. 4. v. 8. 9. & 10. Phil. 2. v. 10. Col. 2. v. 15 Hebr. 2. v. 14. 1. Petr. 3. v. 18. 19. & 22. 1. Joh. 3. v. 8.

XVII. Humana testimonia in hoc articulo fidem nostram confirmantia, ex divinis extracta sunt: Ea q; vel Universalia vel Singularia. Universalia autem sunt à totâ Ecclesiâ Orthodoxâ approbata, & communiter usurpata, ut Cantiones & Hymni Ecclesiastici.

XVIII. Canimus enim in ferijs Nativitatis Domini: Prostratus in propria ruit hostis spicula, auferuntur tela. Christi pugna fortissima salus nostra est vera: Qui nos suam ad patriam duxit post victoriam. Vigilia Paschæ: Vita in ligno moritur, infernus & mors lugens spoliatur: Christe Eleison, Te qui vinciri voluisti nosq; à mortis vinculis eripuisti. Festo Paschæ: Mors & vita duello conflixere mirando, Dux vita mortuus, Regnat vivus.

H 2

Sic in

93

XIX. Sic in Hymno de Adventu Domini: Egressus ejus à patre, Regressus ejus ad patrem, Excursus usq; ad inferos, Recursus ad sedem Dei: Et de Resurrectione. Salve festa dies toto venerabilis ævo, Quâ Deus infernum vicit & astra tenet. Item: Consurgit Christus tumulo, Victor redit de barathro, Tyrannum trudens vinculo, Et referans Paradysum. Et: Inferni claustra penetrans, Tuos captivos redimens, Victor triumpho nobili.

XX. Singularia testimonia sunt, vel mortuorum vel vivorum: Illorum vel veterum vel neotericorum. Veterum & quidem Apostolorum, ut Thome qui hunc articulum Symbolo Apostolico inseruit teste Augustino Serm. 115. Et Taddæi, qui inter Apostolos numeratur Matth. 10. v. 3. & referente Eusebio lib. 1. Hist. Ecclesiast. cap. ult. inquit: Christus &c. ad inferos descendit, sapemq; illam antea nunquam disruptam scidit, & resurrexit.

XXI. Vel Patrum, ut, Ignatij Epistola ad Trallianos. Irenæi lib. 5. adv. Har. Origenis, Homil. 5. super Gen. Tertulliani lib. de anim. cap. 31. Athanasij in Symbolo, quod in Synodo Alexandrina Anno Christi 371. approbatum est. Eusebij lib. 4. Demonstrat. Evang. &c.

XXII. Ex Neotericis tantum D. Lutherum, quem citat formula Concordia; Et Philippi Melanchtonis in Epistolâ ad Hambürgenses, testimonium, indicasse sufficiat.

XXIII. Vivorum sunt, vel Orthodoxorum Theologorum formulam Concordiæ amplectentium; vel singulorum Christi fidelium, qui ubiq; gentium quotidie Symbolum Apostolicum recitant, & fidem suam Catholicam simplicissimè testantur & tuentur.

XXIV. Cum itaq; Descensus Christi ad inferos sit fidei articulus, Scripturæ testimonijs confirmatus, & à totâ Ecclesiâ cum alijs semper, tum hodiè quoq; magno consensu approbatus, in dubium vocandus non est; cum ad plenam redemptionis nostræ fidem nobis faciendam sit necessarius, & summam pijs consolationem adferat.

XXV. Id quod in Secundo hoc membro videbimus: Ubi quid de Descensu Christi ad inferos sit credendū, ex definitione ejusdem percipi

cipi potest; quam totius hujus membri summam complectentem, sequentibus verbis ex ipsâ Scripturâ desumptis proponimus.

XXVI. Descensus Christi ad inferos, fuit auspiciū gloriosæ victoriæ Christi, reportatæ de Diabolo, totoq; regno illius; quo Christus Jesus Ἰησοῦς Χριστός , posteaquam in lucta cum antiquo Serpente in calcaneo laesus, & mortificatus carne, quievisset corpore in sepulcro, animâ in Paradiso; Spiritu seu virtute Dei in vitam revocatus, liberè in infernum descendit, ac se vivum inimicis suis coram conspiciendum præbuit, victoremq; demonstravit; dum morte destructâ, & inferorum potentiâ vastatâ, expoliatisq; principatibus, & exarmatis immundis Spiritibus, Diabolo catenis noctis ligavit; ut planè senserint caput serpentis à Semine mulieris contritum, ac dolores mortis, reliquaq; opera Diaboli à filio Dei dissoluta esse.

XXVII. Hujus Descriptionis præcipua partes analysi subjiciendæ, & questionibus aliquot explicandæ erunt; quibus consideratis & confirmatis reliquæ sunt manifestæ.

XXVIII. Quòd igitur sit initium victoriæ Christi, hoc modo probatur. 1. Descensus Christi ad inferos vel ad statum Exinanitionis, vel gloriæ & Majestatis pertinet. Christus enim in forma Dei existens consideratur vel in statu humiliationis vel Majestatis; quanquam utriusq; status sunt certi gradus, Phil. 2. v. 7. & seq. Sed ad statum Exinanitionis non pertinet: Anima enim Christi tristis fuit usq; ad mortem crucis, Matth. 26. v. 38. Phil. 2. v. 8. ubi quæ in statu exinanitionis perfici debuerunt sunt consummata, Johan. 19. v. 30. Ergo ad statum gloriæ referendus est.

XXIX. 2. Scriptura ubiq; realem Christi descensum ad statum gloriæ refert; ut ex citatis locis patet: Et perfectum $\lambdaύτρωσιν$ in arâ crucis Deo persolutum affirmat; nullas post mortem dolores agnoscens. Esai. 53. v. 5. Rom. 8. v. 9. & 10. Col. 1. v. 20. Heb. 9. v. 26. cap. 13. v. 20. 1. Pet. 1. v. 19. cap. 2. v. 24. cap. 4. v. 1. 1. Ioh. 1. v. 7. Apoc. 1. v. 5. cap. 12. v. 11. Ergo ad statum gloriæ pertinet.

XXX. 3. Sepultura fuit quodammodo gloriosa Esa. 53. v. 9. Iohan. 19.

han. 19. v. 38. & eam præcedens anima migratio in Paradysum:
Luc. 23. v. 43. & 46. quæ sedes deliciarum & beatitudinis aternæ
est, Apoc. 2. v. 7. Item; Veli templi scissio, terra motus, petrarum
ruptura, monumentorum apertio; Conversio & confessio Centurio-
nis ac comitum ejus; Josephi confidentia, Nicodemi liberalitas:
Hostium tantus tremor, ut ne in Summo quidem Sabbato quiesce-
re potuerint, quin coacto concilio resurrectionem impedire vel sal-
tè obscurare conarentur, Matth. 27. v. 51. & seq. Ioh. 19. v. 39.
majestatem mortui Christi ostendunt. Ergo multo major vivificati
ad inferna descendenti fuit majestas.

XXXI. 4. Ordo & series articuloꝝ Symboli idem convin-
cit. Descensus enim ad inferos passioni, morti & sepultura Christi,
quibus quasi limitibus exinanitionis status terminatur, apertè suc-
cedit & ab ijs sejungitur. Quare eodem pertinere non potest.

XXXII. 5. Comprobat hoc ipsum connexio duorum articulo-
rum Descensus Christi ad inferos & resurrectionis à mortuis facta
à Thoma Apostolo. Quemadmodum enim resurrectio tanquam
pars victoriæ ad statum gloriæ pertinet; ita ab eodem Apostolo hoc
consilio procul dubio præcedens articulus eidem nexu indissolubili
copulatus fuit, quod ad eundè statum declarandū ille quoq; pertineat.

XXXIII. 6. Demum huc referri potest consensus unanims
sanctorum patrum articulum hunc de Christi victoriâ interpre-
tantium; Et Confessionis Augustanæ, cujus tertius articulus
membra quæ de Christo agunt, accurratè distinguit, quina
membra status Christi humilitati, quina Christi exaltati opponendo.

XXXIV. Verum ne quis hoc opus ad divinitatem vel eti-
am animam solam restringat: explicanda est fusius questio secun-
dam quam naturam Christus ad inferna descenderit: Exprimit
autem Symbolum Apostolicum integram personam constantem
divinâ & humanâ naturâ perfectâ; docens Jesum Christum fi-
lium Dei unicum, Dominum nostrum qui conceptus est de Spiri-
tu sancto &c. ad inferna descendisse. Ubi nomina ipsa indicant
αὐτὸν in carnatum, seu virum in Jehovahâ subsistentiam suam ha-
bentem

gentem, hoc munere perfunctum esse; id quod his evincimus rationibus.

XXXV. 1. Quia omnis Spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse ex Deo est; & omnis Spiritus qui solvit Jesum ex Deo non est, & hic est Antichristus. 1. Joh. 4, v. 2. & 3.

XXXVI. 2. Quia ut inquit Augustinus; quando sermonis divini proprietas servata, nullum habet incommodum aut absurdum, ea ipsa sine ullâ dubitatione est amplectenda. Cum igitur nihil absurdi in fide ex eo sequatur, quod asserimus Christum totum ad inferos descendisse; Cur non proprietatem sermonis in hoc articulo fidei, sicuti in cæteris retineremus?

XXXVII. 3. Quia Symbolum Apostolicum uti brevissimum est, ita maximè proprijs verbis explicari debuit: ut igitur intelligimus propriè, totum Christum natum, passum, crucifixum, mortuum & sepultum, resurrexisse & ad cælos ascendisse; sic etiam intelligendum erit, eundem totum ad inferos descendisse.

XXXVIII. 4. Confirmat idem Paulus Ephes. 4, v. 9. & 10. inquit; Illud ascendit quid est, nisi quod etiam descendit ad infimas terræ partes; qui descendit, ipse est etiam qui ascendit super omnes cælos &c. ubi est antithesis Ascensionis Christi in cælum, & Descensus ejusdem ad inferna: At constat totum in cælos ascendisse: Necessario igitur sequitur totum etiam ad inferos descendisse.

XXXIX. 5. Huc patrum sententia referenda sunt, ex quibus Augustini dictum est memorabile: Totus filius apud patrem, totus in utero virginis, totus in cælo, totus in cruce, & totus in inferno.

Quia n. Christus totum & integrum hominem ab inferni pœnis redimere debuit, necesse fuit, ut etiam totus & integer ad inferos descenderet. Alioqui non integri hominis redemptio expectari posset.

XL. Quod si quis jam ulterius nostram sententiam etiam de questione Quomodo descenderit? scire desideret: Ingenuè respondemus; Christi vivificati ac victoris omnipotentia captum nostrum excedenti hoc tribuendum esse; ac Athanasij in hoc Consilium sequimur, qui inquit: Ne interroges quomodo? ubi n. Deus vult natura vertitur ordo; voluit n. & potuit. Recte

97
XLI. Recte etiam de his sublimibus captumq; nostrum excedentibus cum Augustino dicimus: Quid opus est ut hæc atq; ejusmodi affirmantur vel negentur; quando sine discrimine, ut multa alia sine salutis labe nesciuntur. *Mysterium fidei est: Credi salubriter potest, investigari utiliter non potest.*

XLII. Iam questio oritur de Tempore quo Christus ad inferos descenderit? Nos vero de Tempore Descensus præter id quod Symbolum exprimit, nihil certi asseverare audemus: post sepulturam tamen factum id esse Concordia nostra ex ordine articulorum fidei evincit.

XLIII. Nec displicet nobis Athanasij sententia, qui in lib. de Virginitate sentit; Christum media nocte hoc descensu fuisse perfectum, & mox per subsequutam resurrectionem tanquam Justicia Solem, cum sole exoriente redivivum orbi illuxisse. Quæ sententia desumpta videtur ex locis Matth. 28. v. 1. & 2. Item Marc. 16, v. 9.

XLIV. Quadrat etiam concinnè hæc sententiâ ad typum Samsonis à Gazensibus circumventi; & mediâ nocte insidijs non obstantibus consurgentis, ambasq; civitatis portas cum postibus & vectibus apprehensas, humerisq; impositas transportantis in verticem montis qui est è regione Hebron. Jud. 16, v. 2. & 3.

XLV. Quo Christus descenderit deinceps est demonstrandum. Quanquam enim per translationem variè usurpetur Infernus in sacris literis; alias pro communi statu mortuorum tam piorum, quam impiorum ut Gen. 37, v. 35. cap. 42, v. 38. cap. 44, v. 31. Job. 7, v. 9. cap. 17, v. 13. Eccl. 9, v. 10. Alias pro calamitatibus & miserijs, ut Proverb. 5, v. 5. & cap. 7, v. 26. Matth. 11, v. 23. Alias pro doloribus Inferni, seu cruciatibus conscientia in hac vitâ, ut 1. Samuel. 2, v. 6. Psal. 16, v. 10. Psal. 30, v. 4. Psal. 116, v. 3. tamen nos tropologicas significationes hic rejicimus, & propriam tantum retinemus.

XLVI. Significat autem propriè Infernus locum pœnartem Diabolis & impijs post hanc vitam deputatum, qui à beatarum anima-

98

animarum mansionibus planè est distinctus. Num. 16, v. 33. Deut. 32, v. 22. Job. 24, v. 19. Psal. 49, v. 15. Esa. 5, v. 14. cap. 14, v. 15. cap. 28, v. 15. cap. 38, v. 18. Ezech. 31, v. 15. 16. & 17. Ose. 13, v. 14. Luc. 8, v. 31. cap. 16, v. 25. Apoc. 20, v. 13.

XLVII. Ac licet, apud Latinos prophanos aliquandò communiter accipiatur, pro loco animarum hominum minus nobilium; (heroum enim animas rectà in cælum evolare, & dijs associari putabant) plerumq; tamen pro penarum loco sceleratis parato usurpatur; Id quod nomina inde deducta Inferi, inferia & furia infernales, &c. ostendunt. Hebraea vox Scheol voraginem inexplebilem & in satiabilem denotans, à petendo Proverb. 27, v. 20. Græca εἰδης à caligine Act. 2, v. 27. ἀβυσσος à profunditate, Luc. 8, v. 31. & ταραχῆ, à perturbatione seu tremore 2. Pet. 2, v. 4. dicitur.

XLIX. Eodem Christum descendisse manifestum erit. 1. Ex scriptura testimonijs supra citatis, præcipuè vero Ose. 13, v. 14. quod vaticinium Paulus 1. Cor. 15, v. 54. & Hebra. 2, v. 14. de victoria Christi, quam de inferno & morte reportavit dilucidè interpretatur. Quo pertinent dicta Eph. 4, v. 9. Col. 2, v. 15. 1. Pet. 3, v. 19.

XLIX. 2. Ex typis 1. Hirci vivi portantis peccata filiorum Israhel in terram separatam. Levit. 16, v. 22. 2. Samsonis Gaza munitiones eruentis Judic. 16, v. 3. 3. Banaja in cisterna leonem occidentis 2. Samuel. 23, v. 20. 4. Cyri areas portas perfringentis, ferreaq; claustra convellentis Esa. 43, v. 2. 5. Iona in ventre Ceti, Ion. 2, v. 1. 6. Danielis in lacu leonum Dan. 6, v. 16.

L. 3. Ex verbis Symboli Apostolici & Athanasiani, quæ ut εἰς τὸ πῆμα sensu historico accipiamus, analogia reliquorum articulorum postulat. Nam si tropologicum sensum hic admittimus, vix reliquos fidei articulos à tropis immunes retinebimus.

LI. 4. Ex Ecclesia Catholica, & patrum orthodoxorum consensu, quorum pleriq; realem Christi ad Inferos descensum sunt professi. Unde Irenæus loco superius allegato, hæreseos damnat eos qui realem Christi ad inferos descensum negârunt. Et Augustinus

I

Epist.

99

Epist. 9, inquit: *Quis nisi infidelis negaverit fuisse apud inferos Christum?*

LII. 5. *Confirmatur idem rationibus. 1. Quia homo propter peccatum, non solum mortis corporis, sed etiam descensus ad inferos, seu pœnarum aeternarum reus factus fuerat Gen. 2, v. 18. Zach. 9, v. 11. conveniens etiam erat, ut is ad inferos descenderet, qui ipsum à potestate inferni liberare debebat; ut in omnibus liberatoris & liberatorum esset à vltis πεφν. Ose. 13, v. 14.*

LIII. 2. *Quoniam Paulus Philip. 2, v. 10. commemorat Christi regnum esse tripartitum: Et Ephes. 4, v. 10. affirmat ipsum ascendisse super omnes cœlos, ut omnia adimpleret. Congruens erat, ut quemadmodum potentiam suam demonstravit in terrâ vivendo & moriendo; ita eandem ostenderet in inferiora terra descendendo, & ibi se Dominum ac victorem Spiritibus infernalibus ostēdēdo & demonstrando, Ephes. 4, v. 9. 1. Timoth. 3, v. 16. 1. Pet. 3, v. 19. ut sic in nomine Jesu omne genu se flectat caelestium, terrestrium & infernorum: Alioqui non absolutam regni sui possessionem accepisset, nisi omnes regni sui partes obivisset.*

LIV. *Ubi vero & Qualis sit infernus iste, quo Christus descendit, curiosè quærere non debemus: Sed potius juxta Chrysostomi præceptum id agere, quo pacto illum evitare possimus.*

LV. *Interim esse infernum adeò non negamus, ut etiam propiorem esse certò statuamus, quam Empectæ somniant, qui anima immortalitatem, secuturum judicium, & infernales pœnas subsannant; Et quam curiosi Monachi nugantur, qui aliquot millium miliarium numero distantiam inferni describunt, & certas contignationes ac materialem ei ignem in centro terra assignant.*

LVI. *Magis piè Lutherus in cap. 9, Eccles. Tom. Wittemb. Lat. 4, fol. 31. Mortui sunt extra locum; quia quicquid est extra hanc vitam, extra locum est; Sicut & post resurrectionem exempti erimus à locis & temporibus. Nam eorum quæ post hanc vitam tam pijs quam impijs contingunt, ejusmodi docetur esse ratio, qualem nec oculus vidit, nec auris audivit nec in cor hominis ascendit. Esa. 64, v. 4. 1. Corinth. 2, v. 9.*

Terri

LVII. *Terribilium tamen & depressorum locorum nominibus scriptura sacra infernum insignit Num. 16, v. 33. Psal. 88, v. 7. Esai. 8, v. 22. cap. 66, v. 24. Matt. 5, v. 22. cap. 8, v. 12. cap. 13, v. 42. cap. 18, v. 8. cap. 25, v. 30. Luc. 16, v. 23. Apoc. 1, v. 5. cap. 19, v. 20. cap. 20, v. 10. non quidem ut de insensibilibus & supernaturalibus secundum sensuum & rationis iudicium aliquid nos concludere doceat; sed 1. ut horrorem & cruciatum infernalem quodammodo exprimat. 2 ut sensibus nostris, qui in loco Physico & sensili sumus eum aliquo modo obijciat.*

LIX. *Jam tandem fines & effectus Descensus Christi ad inferos, quanquam ex superioribus intelligi possent, necessario hic considerandi veniunt propter insignem utilitatem.*

LIX. *Præterquam enim quod hoc suo descensu Scripturam adimplevit, seq̄ verum Messiam & unicum Prophetarum signaculum esse contestatus est, maximè insuper stupenda opera ibidem perpetravit, quorum quidem aliquis ad ipsum, ad nos verò immensus fructus & usus redundat.*

LX. *Hostes namq̄ suos & nostros, Diabolo mortem & infernum tanquam fortior armatus aggressus est, & victor expugnavit, mortem destruens, inferni palatia diruens, ac claves ejus auferens; ipsos autem debellatos perpetuis tenebrarum catenis constringens, & palam in triumpho circumducens, ut sub piorum pedibus conerti nunquam prævaleant adversus Ecclesiam, Psal. 107, v. 16. Ose. 13, v. 14. Matt. 16, v. 18. Luc. 11, v. 22. Rom. 16, v. 20. 1 Cor. 15, v. 55. Col. 2, v. 15. 2 Tim. 1, v. 10. 1 Pet. 3, v. 22. 2. Pet. 2, v. 4. Epist. Jud. v. 6. Apoc 1, v. 18.*

XLI. *Exterrita itaq̄ mors est, videns novum quendam descendentem in infernum, vinculis quæ illic sunt, non ligatum. Quâ de causâ o porta inferni hunc videntes exhorruistis? quis insuetus vos cepit timor? ait hoc loco Cyrillus.*

LXII. *Nemo tamen in his corporales lanienas, & theatricas ostentationes imaginetur; sed acquiescat in verbo Dei, sublimia hæc pro nostro captu per similitudines à rebus bellicis desumptas*



proponente, & credat à Christo glorioso multò majora hac victoriâ nobis parta.

L XIII. Qui hoc suo descensu ostendit se dominari in medio inimicorum suorum Psal. 110, v. 3. adeò ut in nomine Jesu se flectat omne genu Phil. 2, v. 10. imò demonum etiam qui credunt jam & contremiscunt Iacob. 2, v. 19. Et nos victos spei Zach. 9, v. 12. qui in tenebris & umbra mortis sedebamus Luc. 1, v. 79. ac timore mortis per totam vitam obnoxij eramus servituti, à potestate ejus qui mortis habebat imperium, id est, Diaboli liberavit Heb. 2, v. 15. ut jam nihil damnationis sit his qui sunt in Christo Jesu, sed in omnibus plus quam victores simus per eum qui dilexit nos. Rom. 8, v. 1. & 37.

L XIV. Hac de descensu Christi piè cogitata, summam consolationem afferunt, cum in totius vitæ curriculo, tum in extremo illo agone, cum advenerit hora illa inevitabilis, ubi cum morte luctantibus offerunt se plerumq; Quatuor terribiles & tristissima imagines. 1. mortis horrenda. 2. magnitudinis peccati. 3. Legis Condemnantis & 4. Inferni seu abjectionis aeterna.

L XV. De his summis malis, ut assidue in omni vitâ cogitare, ad seriam pœnitentiam accendendam utilissimum est: ita in agone summa sapientia Christianorum est, oculos mentis ab imaginum illarum conspectu avocatos in unicum & solum Christum defigere.

L XVI. Et 1. mortem non in nostro corpore, sed in Christo auctore & datore vitæ, qui mortem absorpsit in victoria. 2. peccatum non in nostrâ conscientia, sed in Christo agno Dei, tollente totius mundi peccata ac projiciente ea in profundum maris. 3. Legem non in nostris cordibus scriptam, sed deletam sanguine Christi ac cruci affixam. 4. Infernum, & tentationes de abjectione aeternâ, non in nobis ipsis, sed in Christo sustinente tentationem de abjectione, & vincente; ac Inferni dolores solvente ipsumq; tandem projiciente in stagnum ignis, Iohan. 14, v. 6. Iohan. 1, v. 29. Mich. 7, v. 17. Col 2, v. 14. Matt. 27, v. 46. Actor. 2, v. 24. Apoc. 20, v. 14. intueri.

L XVII. Atq; hætenus probatum, Descensum Christi ad Infe-



102
Inferos esse articulum fidei, & in sensu proprio acceptum ad statum
exaltationis pertinere, & triumphum Christi initium esse: (mor-
tuus enim pro nobis ut victima, descendit propter nos ut victor, ut
sententia habet Patrum) Quod nobis pro Formula Concordia asser-
tione probare fuit propositum.

LXIX. Restat ut in Antithesi, erroneas & discrepantes Antithe-
hujus fidei articuli interpretationes trutinemus, & redditis ratio-
nibus rejiciamus. Eπεγοζία autem diversarum opinionum in
hoc articulo Duplex est: Negans & rejiciens eum ex reliquo-
rum fidei articulorum numero una: & altera in affirmando, diver-
sas omnino à scripturâ sententias fovens.

LXX. Negantes porro in duplici sunt differentiâ: alij enim
planè hunc articulum tollunt, alij in medio relinquunt. Priorum
Sextuplex caterva est. Prima, hanc Clausulam ἐξηγήσεως gratiâ
contra Valentinianorum heresin additam putat, eâq; nihil aliud
significari, quam descendisse Christum in statum demortuorum, &
alijs mortuis pro quibus mortuus fuerit consociatum esse: referent
Bucano. His ferè astipulatur Secunda Beza complicum opinio,
qui hac verba de Sepultura accipiunt, contendentes Infernum pro-
priè sepulchrum significare. Beza in cap. 2, Act. & contra Castal.
Junius in Bibl.

LXXI. Sed pro nobis contra hos utrosq; respondent illorum gre-
gales Ursinus in Cat. Expli. quæst. 44. inquit: Non est verissi-
mile in hoc Symbolo tam brevi & succincto, eandem rem bis dici
verbis commutatis. Aretius part. 1. probl. loc. 15, Absurda est hæc
defensio: Probandum itaq; illis est, quod hoc loco descendere idem
sit quod sepelire, & cur res eadem bis ponatur, & obscurius qui-
dem posterius. Cum itaq; horû commentû inanis & ociosa Bar-
tholomæus Symbolum Apostolicum insimulet, merito explodendum est.

LXXII. Tertia, de virtute & ἐνεργεία mortis Christi hunc ar-
ticulum intelligit, quod nimirum ea quoq; Inferis, id est, mortuis in
fide profuerit. Zwingl. lib. Epist. Ep. 3. Bulling. in 2. cap. Act. Ap. Sed
præterquam quod hæc opinio τῷ πρῶτῳ adversatur, etiam absurdi-
tate

103

tate laborat, quod & lymbum patrum asserere, & vim ac operationem mortis Christi ad omnia loca & tempora aequè se exerentem, denegare videatur.

LXXII. Quarta, hunc articulum vel ad tempus illud conversationis Christi totum, quo ille in formâ servi existens sese extremè exinanivit, accommodat; vel extremum & infimum humiliationis gradum, usq; ad mortem & sepulturam hac phrasi denotari contendit, q. d. Christus mortuus & sepultus est, atq; ita descendit. Shonius in disput. de dupl. stat. Christi, thes. 15.

LXXIII. Sed hæc sententia tropologico suo sensu omnes articulos singulari studio Apostolorum conspiciuis limitibus sejunctos, confundit: Ipsumq; Symbolum insimulat sapientia præpostera & πλεονασμῶς, Ideoq; tanquam prophana est rejicienda.

LXXIV. Quinta, de sensu ira Dei & doloribus ac cruciatibus damnatorum, quos Christus animâ, maximè in horto & agone mortis perpeffus est, hæc verba Symboli explicat. Calvinus lib. 2. instit. cap. 16. Ursinus in Catech. expl. quest. 44. & alij pleriq;

LXXV. Sed quia hæc sententia ὑπερπνεῦτικῶς laborat, ipsamq; Christi passionem, & realem ad inferos descensum confundit, minimè est acceptanda, sed suis relinquenda authoribus.

LXXVI. Sexta, allegoricè seu metaphoricè per Descensum Christi summam illam ignominiam intelligit, qua oppressus fuit filius Dei, dum ad tertium usq; mortis suæ diem tanquam à morte & Diabolo prostatus & victus in sepulcro jacuit, insultantibus quasi ipsi Diabolo & Phariseis, ac si jam amplius non esset. Bucanus in Inst. loco de Descensu Christi ad Inf. quest. 8.

LXXVII. Sed quia ipse per Allegoriam sic explicari fatetur, eam ne nos quidè damnemus, Interim; Historia Evangelica ejus explicationem refutat ut ex thesi 30. apparet. At hic tantum queritur quis sit proprius horum Symboli verborum sensus.

LXXVIII. Qui in medio relinquunt, ij vel sensum suum non explicant, vel in utramq; partem disputant, vel omnes sententias pro simpliciter veris amplectuntur. Prima, Patrum scriptis se
tuen-

104
tuentur, qui ut plurimum hujus articuli explicationem omit-
tunt: Medij, pro illorum variâ interpretatione, varias diavólas
quarunt: Postremi singulis Ecclesiam edificari putant, cum eo sine
plures interpretationes à Patribus sint adhibita. Bucanus in
institutionibus.

LXXIX. His omnibus opponimus verbi Dei unicam verita-
tem, Symboli Apostolici brevitatem, & universa Orthodoxa Ec-
clesia consensum traditum thesi 17. & sequentibus; Singulares au-
tem instantias retundimus Regulâ Theologicâ. Scopus cujusq;
Symboli & scriptoris Ecclesiastici, diversitatis rationem caivis piè
prudenti indicat: Quæ etiam in scripturarum apparentibus re-
pugnantijs est observanda.

LXXX. Affirmantium hunc articulum non minor est di-
screpantia. Quemadmodum enim in superiori ordine certant in-
ter se Calviniani, sic in hoc digladiantur Pontificij veteres & mo-
derna Jesuita; Quorum illi ad Lymbum patrum animam Chri-
sti pervenisse; hi v. etiam omnes Inferni partes lustrasse fingunt.

LXXXI. Thomam, qui in Lymbo animam Christi consedis-
& inde aliquantulum in omnes inferni partes effectum suum deri-
vasse docet Sum. part. 3. quest. 52. art. 2. refutat Bellarm. Tom. 1.
Con. 2. lib. 4. cap. 16. asserens probabile esse Christi animam ad
omnia loca Inferni pervenisse. Ad Thomæ tamen partes reliqui
Pontificij inclinant Comp. Theol. verit.

LXXXII. Has fabulas omnes nos suis authoribus concilian-
das relinquimus, cum talia inferni conclavia verbum Dei igno-
ret & nos ignorare jubeat; Cumq; eorum sententia, analogia fidei,
omnium articulorum, authoritati scriptura, personali duarum in
Christo naturarum unioni, & deniq; ipsius redemptionis & officij
Christi rationi repugnet, merito exulare jubetur.

LXXXIII. Præter hos communes Ecclesiæ perturbatores,
inventi sunt inter Augustana Confessionis socios, qui errorem à Pon-
tificijs olim refutatum (Vid. Thom. loco citato) de Christi anima
cruciatibus in inferno pro animabus hominum, Ecclesiæ obtrudere
sunt

105

sunt conati: Quibusdam scriptura dictis detortis ad opinionem suam confirmandam.

LXXXIV. Ideoque eorum sententiam erroneam esse sequentibus demonstrabimus. 1. Quia omni fundamento scriptura caret. 2. Quia Christus ipse ejus non meminit, cum de passione sua sapius verba faceret. 3. Quia ipse aperte exprimit animam tristitiam in agone extendi usque ad mortem. 4. Nullus ejus finis ex scriptura ostendi potest. 5. Derogat sufficientiam sacrificij in cruce peracti. 6. Est absurda, Diabolo tanquam alteri Domino per peccatum offenso $\lambda\upsilon\gamma\omicron\upsilon\nu$ persolutum asserens. 7. Repugnat Eponemati Christi, quo omnes cruciatus pro redemptione generis humani sustinendos in cruce finitos affirmat. 8. Nec modus denique ejus passionis dari potest, cum anima corpore moriente commendaretur Patri ac migraret in Paradysum.

LXXXV. Quod vero obijciunt Christum queri apud Psalmistam de doloribus inferni; Respondemus, loca Psalmorum intelligenda esse, de doloribus in passione ante mortem interprete ipso Christo. Qui nominantur infernales $\nu\gamma\tau\prime \epsilon\zeta\omicron\chi\eta\nu$ quia fuerunt tanti, quantos eos damnati experiuntur, nobisque omnibus experiri necessum fuisset in inferno, nisi Christus eos pro nobis sustinuisset.

XXCVI. Nec in Psal. 16. ex quo novam infernalem passionem stabilire nituntur, quicquam habent praesidij: Ibi enim Christus praevidens passionem suam, victoriosam se resurrectione consolatur. Et locus Petri Act. 2, v. 24. est nostris plane est partibus. Quemadmodum etiam instantiam contra Eponema Christi Apostolus Hebr. 8, v. 28. et cavillationem dicti Christi Luc. 27, v. 30. ipsius verbi Emphasis apud Psalmistam et Evangelistam, refutat.

XXCVII. Verum cum omnium et singularum harum opinionum, et ejusmodi instantiarum refutationes ex thesibus resultent, hic consistimus; Deum celebrantes qui dedit nobis victoriam per

D. N. J. C. 1. Cor. 15, v. 57. : eorumque quae in hoc articulo fidei non intelligimus, plenariam cognitionem in caelestis Academia conversationem reservamus.





Doctissimo Dn. Simoni Johannis Respond.
F. S. grat.

REM præstas magnam, Simon, duplicemq; mereris
Laudem dum proprias laude tueris opes:
Exponens quid sit Christi descensus in orbem,
Ingenij mirâ dexteritate tui.
Non tamen ut statuit vanorum turba Sophorum,
Sed solum sicut pagina sacra jubet.
Auspicijs igitur lætis urgeto laborem,
Nec pia conatus desere cœpta tui.
Sic pensum accurans, proles optata Parenti,
Atq; bonis cunctis charus alumnus eris,

Johannes Bothvidi Nos.




[Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.]

[Faint, illegible text, possibly a title or author name.]


[A block of faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

[Faint, illegible text at the bottom of the page.]










2a




καὶ ὑμνοῦντες ἐξ ἠθέρων ἑ.











Faint, illegible markings or bleed-through from the reverse side of the page.



ap 19 matt lag fol 20 januar 10. 6. 43
inc 18. 10

AB42

15
10, 10

ULB Halle 3
002 729 741



s. b.

WPA

Rehe. ✓



12

89

Disputatio IIX.

EX FORMVLA CHRISTIANÆ CONCORDIÆ,

Continens Synopsin doctrinæ

DE

DESCENSU CHRIS- TI AD INFEROS,

Cujus Subiectas Positiones

EODEM DVCE ET AVSPICE CHRISTO

Sub Præsidio

REVERENDI ET CLARISSIMI V

Dn. LVCÆ BACMEISTE

S. S. Theolog. Doct̄oris, & in Acad. Rostochiensis P

In Collegio disputationum Theologicarum p

examinandas proponit

SIMON JOHANNIS CARE

Wiburgensis. S.

Ad diem 31. Decemb. horis pomer

1. Pet. 3. v. 18. & 19.

*Χριστὸς ἀπαξ περὶ ἁμαρτιῶν ἔπαθε, δίκαιος ὑπὲρ
ἡμῶν προσελάλη τῷ Θεῷ; θανατωθεὶς μὲν σαρκί,
τῷ πνεύματι; ἐν ᾧ καὶ ταῖς ἐν φυλακῇ πνεύματι προε*



ROSTOCHII.

Ex Typographia Stephani Mylian

Anno M. DC. V.

